



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Iubilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Quæst. I. An ad lucandum Jubilæum, requiratur intentio illud lucrandi?  
Idem est de quacumque aliâ Indulgentiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**

S. I. *De nom. naturâ, &c. Jubilei.* 47  
tolerantiâ , dat certitudinem mora-  
lem per ratihabitionem de præsenti,  
ut datur in errore communi. Et qui-  
dem est moraliter incredibile, Eccle-  
siam omissuram, damno tam generali  
& transcendentî, &c., communi coram  
eius oculis praxi, recepto, remedium  
ferre, Doctoribus unâ voce ad aures  
Ecclesiarum clamantibus: *Supplet, Sup-*  
*plet Ecclesia;* si supplendi intentionem  
non haberet Ecclesia. Haec tenus Lum-  
bier,

## SECTIO II.

### DE INTENTIONE REQUISITA AD CONSECUCTIONEM JUBILÆI.

QUEST. I. *An ad lucrandum Jubi-  
leum, requiratur intentio illud lu-  
crandi? Idem est de quacumque alia In-  
dulgentiâ.*

RESP. Tutius quidem est, habere  
intentionem actualem , aut virtua-  
lem propriè dictam ( id est, perseve-  
rantem in aliquo effectu, qui proce-  
dit vi intentionis priùs habitæ ) illud

*lucrare*

lucrandi; tamen non videtur talis intentio necessariò requiri, sed sufficere habitualis & interpretativa , quam censetur quilibet Christianus habere de sua salutis remediis , universim volens sibi per sua opera bona tantum prodesse, quantum potest. Ita Layman. l. 5. tr. 7. c. 6. n. 5. Portel Dub. Regular. v. Indulgentia n. 7. dicens , sic se audivisse ex ore proprio quondam à Patre Molinâ, Magistro suo; Castropalao tr. 24. pu. 9. n. 8. Josephus Augustinus in suâ Brevi notitiâ, de Indulgentiis n. 16. Card. de Lugo De Pœnit. disp. 27. n. 81. &c. alii citati & approbati à Diana. p. 5. tr. 12. R. 6. Gobat de Iubil. n. 86. & de Indulg. P. I. c. 14. n. 166.

Ratio est : Quia neque ex naturâ rei, nec in ullâ formâ Jubilæi, aut aliarum Indulgentiarum , requiritur intentio actualis , aut virtualis propriè dicta, illud aut illas lucrandi.

Adde , ex more universali receptum esse, ut moribundis omni sensu destitutis dentur Indulgentiae ; & quod

quod per opera bona , quæ nos ipsi facimus, aut alii nobis applicant, satisfaciamus pro nostris peccatis, esto, non sciamus, nec intendamus actualiter aut virtualiter propriè nos per illa satisfacere.

Hinc sequitur, innumeros homines lucrari Indulgentias, qui nesciunt seu minimè cogitant esse Indulgentias , dummodo ponant opus seu opera à concedente præscripta. Est tamen optimum consilium, in iis quæ agis, habere intentionem lucrandi quidquid possis, sive per viam Indulgentiæ, sive quocumque alio modo; ut rectè moret Suarez to. 4. in 3. p. disp. §6. Sect. 1. n. 8. qui infert, posse Confessarium Indulgentiam concedere constituto in articulo mortis, etiamsi nihil sciat de Indulto quod habet moribundus, neque hic ex oblitione, vel inadvertentiâ , Indulgentiam petat; dummodo Confessarius intendat absolvere etiam à pœnâ , quantum potest quocumque titulo.

C

Q. 2.